

De secundinis non citius extrahendis : dissertatio anatomico-chirurgica.

Contributors

Thévenot, François Saclier.
Botentuit Langlois, Pierre Mathurin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1783.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kcu8j6kp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

h

CELEBERRIMO VIRO

D. D. GASPARDO THEVENOT,

CHIRURGIÆ MAGISTRO PERITISSIMO,

AVUNCULO DILECTISSIMO;

IN GRATI ANIMI MEMORIAM

HAS LABORUM PRIMITIAS

EX LONGO IPSIUS FELICIQUE REI OBSTETRICIÆ USU DECERPTAS

OFFERT, DICAT, VOVET ET CONSECRAT

EJUS DEDITISSIMUS NEPOS,

F. SACLIER THEVENOT,

REGII CHIRURGIÆ COLLEGII CANDIDATUS.

CELEBRIMO VIRO

D. D. GASPARD THEVENOT,

CHIRURGIE MAGISTRO PRIMITIVO,

AVUNCULO DILECTISSIMO,

IN GRATI ANIMI MEMORIAM

HAS LABOREM PRIMITIVAS


IN LONGO TEMORE FELICIS USU DECORITAS

OFFERT, DICAT, VOLET ET CONSECRAT

REUS DEDITIONIS VAPOR,

F. SACHLER THEVENOT,

REUS CHIRURGIE COLLEGI CANDIDATUS.



DE SECUNDINIS
NON CITIUS EXTRAHENDIS.

DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA.

FÆTUM enixa mulier nondum omne periculum evasit (1), cum novo veluti labore, novis conatibus, novo ut ita dicam partu, Secundinæ expellendæ sint: quæ quidem licèt minore nisu, levioribus doloribus foràs eliminentur, eò quòd sint ipsæ fœtu minores, molliores (2), iterque aquarum effluxu & infantis

(1) Vid. Celeberr. Levret, l'Art des Acc. p. 143.

(2) Celeberr. Puzos, pag. 141.

exitu irroratum, lubricatum, extensumque fuerit, tamen multo difficilius periculosiusque hoc secundum naturæ opus in fœminis, quàm in omnibus animalibus quæ menstruis non gaudent, absolvitur. Hinc plurimæ cautiones adhibendæ, varia exsequenda præcepta, multa declinanda discrimina, quæ omnia docebit sagax & oculata praxis. Cùm autem ex variis accidentibus quæ deuterii exitum comitantur, maxima nobis inde nasci videantur, quòd citò citiùs, contra naturæ votum, extrahatur, id in nos suscipimus ut præcipitis festinationis periculum, contra verò prudentis procrastinationis utilitatem exponamus. Sed antea partium Anatomiam breviter, & duntaxat quantum ad nostrum hoc propositum pertinet, oculis subjiciemus.

E X A N A T O M I A.

UTERUS est viscus cavum, musculosum (3), vasculosum (4), nervosum (5), cellulosum, inter intestinum rectum, vesicamque

(3) Licet à plurimis v. g. Smellie, T. 1, p. 96, & aliis negantur uteri fibræ musculares, non possumus tamen quin eas admittamus. Quibus enim rationum momentis infirmari possit hæc opinio? Duobus tantum, nempe quòd autopsiâ demonstrari nequeant, & diversè intricata, decussata earum dispositio, scalpello duce, detegi non possit: secundò quod pallidæ appareant. Sed quid ex colore sequitur? Nonne repetitis lotionibus decolorantur musculi? Deinde ex eo quòd videri nequeant, non indè sequitur eas non existere, si ratione inconcussâ earum existentia probetur. At quid clariùs certiusque muscularem fabricam demonstrat quàm irritabilitas & contractilitas? & quodnam aliud viscus hâc utrâque facultate eminentiùs utero gaudet?

(4) Vasa uteri à spermaticis & hypogastricis nascuntur.

(5) Nervi à plexu renali & hypogastrico, à magno intercostalis nervo & ab ultimis paribus sacris originem ducunt.

urinariam situm, fœtui excipiendo, nutriendo, expellendo dicatum. In fundum, corpus, collumque dividitur: in collo duplex animadvertitur orificium; alterum interius, alterum exterius. Multum à vacuo differt gravidus uterus: pyriformem figuram paulatim in rotundam mutat; ex inferiore pelvi emergit, & magis magisque altius pro graviditatis tempore assurgit. Mutatis figurâ & loco, mutari etiam videtur ipsius substantia: nam extra graviditatis tempus, denso componitur & inextricabili textu quem perrepunt tenuia vasa, vestitque membrana interior ipsius substantiæ veluti *incorporata*, innumerisque perforata poris, quibus exsudat à pubertate humor albuminosus, singulisque mensibus fluunt catamenia. Prægnans verò uterus longè aliter se habet: mirum in modum extenditur, expanditur, explicatur (6): facillè separatur membrana ejus interior; musculares fibræ præsertim versùs fundum (7) evidenter apparent, omnis ejus substantia latis scatet cavitatibus quas uteri sinus vocant, quæque inter se communicantes, ore patulo in uteri cavum hiant, ita ut calamus scriptorium & instante partu extremum digitum admittant. Fiunt etiam aliæ plurimæ circa collum, orificia, directionem, &c. mutationes, quas omnes licet obstetricanti viro absolute necessarias, tamen ex consulto, utpotè ad nostrum hoc propositum minus conferentes, silentio prætermitti posse putamus.

(6) Tres de uteri gravidæ crassitie grassantur opiniones: alii eam crassescere volunt, ut Deventer; alii attenuari, ut Mauricæus; alii verò eandem servare crassitiem, ut Smellie, T. 1, p. 98.

Ortam hæc de re litem facillè dirimit brevis annotatio: nempe quòd alii uterum post fœtus expulsionem, aquarumque efflavium, alii verò ante consideraverint.

(7) Vid. Ruisch. advers. Anat. Decas II, p. 34.

Quoquo modo perficiatur generationis opus admirabile, statim atque in uterum admissum fuit ovulum seu embryonis receptaculum, ejus vasa exteriùs fluctuantia certo cuidam hujus visceris puncto adhærent, primaque placentæ rudimenta constituunt. Simul adnascuntur membranæ, funiculus umbilicalis, & aquarum quibus fœtus innatat copia, ab extremis vasis, innumerisque uteri poris exhalata.

Placenta corpus est spongiosum cellulosumque, vasis sanguineis præcipuè confertum, sex transversos digitos latum, pollicem in medio crassum, orbiculare ut plurimum ubi uteri fundo inseritur; ellipticam aliamve figuram, ubi ejus lateribus, alibive adnascitur, assumens. Ita complanatur, ut sit facies interior & concava in quâ majora perreptant vasa quæ in venam arteriasque umbilicales abeunt, altera exterior & convexa quæ uteri parietibus respondet. Hanc tenuissima vestit membrana, ex Chorii lamellâ orta, à quibusdam propter innumerabiles poros reticularis dicta, & ita pellucida, ut, vel eâ mediante, conspici etiam fiant lobuli in quos ad alteram usque faciem placenta dividitur, quorumque vasa in majores truncos usque coeuntia numquam inter se communicant. Hic etiam animadvertuntur extremitates vasorum in varios fasciculos collectæ, quæ tuberculis papillisque similes, nutrimentum (8) ex uteri sinubus succum eliciunt.

(8) Sanguinis circulationem à matre ad fœtum admittere non sinunt Celeberr. Haller, Monro, Rœderer experientiæ. Quæ si fieret, frequentius matris humorum impetu enecaretur tener adhuc fœtus, vasa per partum lacerarentur, lethalis plerumque sequeretur hæmorrhagia: ex placentæ decorticatione nasceretur inflammatio, suppuratio, &c. Vid. Anat. Celeberr. Sabatier. T. II, p. 424, & seq. His etiam addenda Celeberr. Puzos observatio qui calculosâ concretionem induratum placentæ externam faciem pluries vidisse testatur. *Traité des Acc.* p. 156.

Ex membranis quibus involvitur fœtus, altera crassior, spongiosa, vasis sanguiferis evidenter irrorata, utero contigua Chorion vocatur; altera tenuior, pellucida, rarissimis minimisque interstincta vasis, nuncupatur Amnios (9).

Liquor intrâ hæc velamenta contentus, pro vario graviditatis tempore, variis gaudet qualitatibus, copiosiorque videtur aut paucior. Ratione fœtûs habitâ, quo magis hic crescit, eo magis imminuitur aquarum copia, licet revera majori quantitate, instante partu, quàm incipiente graviditate reperiantur. Item quæ primò spissæ, mucosæ, nulliusque saporis videbantur, deindè fiunt ut plurimum pellucidæ, acremque (10) saporem contrahunt.

Ex placentâ in fœtûs umbilicum excurrit funiculus indè umbilicalis dictus. Frequentiùs è medio, rariùs aliundè, pro variâ placentæ in utero *insertione* oritur. Semi-ulnam circiter longus, variâ donatur crassitiè, variâ soliditate. Duas arterias, venam, urachumque complectitur: arteriæ ab iliâ internis oriundæ sanguinem ad placentam deferunt: vena his duplo major, spirali ductu circa arterias contorta, ex majoribus placentæ vasis in unum coeuntibus exurgens, sanguinem in sinum venæ portæ, deinde per venosum canalem in inferiorem venam cavam effun-

(9) Longè aliter de his Celeberr. Hunter. Membranam addit utero adnatam quam, quia singulo quoque partu formatur & cum secundinis abit, deciduam vocat. Duplicem quoque placentam admittit, fœtalem nempe & uterinam; sanguinemque in hanc à maternis vasis delatum, ab alterius vasis exhauriri contendit. Sed hanc summi viri opinionem exponere tantum, nihil verò de ejus veritate asserere, vel negare liceat.

(10) Hinc nullo modo nutritioni inservire posse videntur: in cujus veritatis assertionem Vid. Celeberr. Sabatier gravissimi momenti argumenta, ibid. p. 434, & seq.

dit. Urachus ab urinariæ vesicæ fundo natus, funiculi sæpius quàm canalis formam primo intuitu exhibens, ad id videtur interfervire, ut urinam in allantoïdem membranam, quæ à plurimis negatur, deferat: cum verò hæc membrana in animalibus, præfertim in vaccâ, evidenter demonstretur, ejusque usus non minus in muliere necessarius videatur, cum urachus in adultis non semel urinæ pervius visus fuerit, & etiam ab obstetricantibus viris duæ aquarum agnoscantur species, & canalis, & membranæ existentia, saltem ut verisimilis, admitti potest (11). Connecuntur hæc vasa telâ cellulosâ, modò firmiori, modò laxiori, gelatinâ plùs minùsve abundante, undè major minorve funiculi firmitas & crassities; membranâ tenui, amnio continuâ, vestiuntur.

E X C H I R U R G I A.

PARTUS, naturalis functio, solis naturæ viribus plerumque absolvitur. Partes enim huic functioni dicatæ, ita ab initio dispositæ fuerunt, ita per graviditatem præparatæ, ita tempore partûs immutatæ, ut singulæ veluti consensu unanimi ad fœtûs expulsionem aliquid conferant. Hinc profectò id sibi tanquam summum operæ pretium proponere debent obstetricantes viri ut naturæ seduli scrutatores, quid præparet aut moliatur attentè studeant, ac præfertim ejus virium & efficaciarum conscii, operi, quod secretis nobisque prorsus ignotis mediis perficiet, obesse refugiant (12). Quantum enim parturientibus proderit ars theoriarum cognitionibus innixa & sagacis experientiarum corollariis fulta, tantum nocere poterit imprudens operandi festinatio quæ potiùs

(11) Vid. Celeberr. Sabatier, *Traité d'Anat. T. II*, p. 342 & 422.

(12) *Patiamini... naturam securas tutasque suas sequi leges: sat citò si sat benè*, Ruisch. *Advers. Anat. Decas II*, p. 40.

tyronem juveniliter ad opus properantem quàm sapientem virum artisquæ suæ peritum arguit. Quod cùm in partu non paucis sed innumeris exemplis comprobari possit, tùm præsertim in secundinarum extractione frequentiùs obtinet; quam quidem si Chirurgus citò citiùs properare velit, in gravissima pericula, immò quandòque in certissimum mortis periculum enixam mulierem adducet (13). Contrà verò si moras cautè nexuerit, tùm aut facilè placentam extrahet, aut etiam sponte suâ foras eliminabitur (14). Undè quocumque modo se res habeant, quolibet in casu, per quoddam temporis spatium semper procrastinandam deuterii extractionem contendimus. Sed ut certo quodam ordine progrediamur primò nostræ methodi utilitatem, deindè huic contrariæ incommoda demonstrabimus.

Si ad prima Artis incunabula regrediamur, jam tùm invaluisse hanc opinionem patebit: nec mirum: scilicet experienciâ potiùs quàm ratiocinio innixi veteres, hanc sæpè sæpiùs naturâ feliciter absolvi operationem viderant. Hinc ejus viribus confidentes, securè otiosique expectabant, dum lentè quidem, sed molliter & per gradus decorticaretur placenta. Hinc divinus Hippocrates, cujus ingenium omnia complectebatur, *sensim non vi faciendam extractionem secundarum* præcipit (15). Crassis deindè ignorantiae tenebris per longam seculorum seriem arte involutâ, eandem verisimiliter methodum obstetricantes viri, si qui fuerint, non quidem ratiocinio aut experienciâ, sed cæcâ

(13) Vid. l'Art des Acc. de M. Levret, p. 143.

(14) *Ita vidi placentam utero adherere ut potiùs secutus fuisset totus uterus inversus extra vaginam, quàm ut deseruisset uterum placenta: observabam tamen intrâ paucarum horarum spatium solo natura urgentis nisu expelli.* Ruisch. Advers. Anat. Dec. II. p. 35.

(15) De superfætatione, Sect. III, p. 42, edit. Francofurt. 1595.

imitatione ducti, secuti fuerunt. Usquedum, vergente ad finem seculo XVI^o, renovatis & humaniorum litterarum & omnis bonæ disciplinæ studiis, exorti sunt viri qui, cum artem obstetriciam multis cæteroquin præclaris inventis ditaverint, & in hoc quoque plurimum se facturos putaverunt, si unà cum fœtu secundinas educerent (16), sicque citissimè matres ab omni labore solverent. Et quidem fictitiis duobus rationum momentis in hunc errorem delapsi sunt: primò quòd post fœtus exitum contrahi viderint orificium uteri, hujusque contractionis diuturnitatem timuerint, deindè quòd, placentâ in utero paulò diutiùs remanente, plurimum indè mali venturum crediderint. Sed. 1^o. Brevioris tantùm temporis est illa orificii contractio (17). Scilicet fibræ musculares corporis & fundi uteri, fibrarum colli & orificii antagonistæ videri possunt. Quamdiù perdurat gestatio, hæ viribus exsuperant, ubi fit partus, vincuntur; sed statim, educto fœtu, rursùs contrahuntur, mox fundi in se redeuntis, contractilitatemque recuperantis conatibus superandæ, ac tandem expulso

(16) Inter eos qui hanc methodum amplexi sunt numerantur Ambr. Paræus.

Dionis, *Traité des Acc.* p. 220, sed pag. seq. Suadet tamen leniter molli-terque funiculum attrahi, ne ipsius rupturâ hæmorrhagia, aut uteri prolapsus subsequantur.

Lamotte, p. 322, T. I, immediatè secundinas extrahi jubet.

Burton, T. I, p. 197, idem præcipit, sed per funiculum attrahi vetat: manu in uterum immisâ, decorticandum deuterium arbitratur.

Idem Jac. Mesnard, *le Guide des Accoucheurs*, p. 20, vel ante funis ligaturam. Idem, Portal, *Prat. des Acc.* p. 11. Idem, Mauricæus, p. 248. Tandem Clement, Deventerii commentator, &c. eandem methodum laudaverunt.

(17) Smellie, Tom. I, p. 250. Celeber. Baudelocque, T. I, §. 884, 885. Puzos, p. 151.

deuterio simul omnes actione propriâ ad lochia egerenda conspiraturæ : undè orificiî contractio , utpote nunquam diù permanfura , nunquam metuenda videtur. Quid verò timoris incutiet placenta paulò diuturnior retentio ? Nonne fenfim contractionibus uterinis feperabitur , expelletur ? At , inquier (18) , relictum deuterium putrefcet ; hinc corrumpetur uterus , aut fœtore exhalato fanguis inficietur. Ex his neutrum eveniet. In globum potiùs durum formabitur (19) & exfuccum abibit , aut paulatim fubfidente mafâ veluti deliquefcet , & cum purgamentis (20) diffluet : aliundè procraftinatio quam fuademus nunquam tanta erit ut putredine corripatur.

Deinde , hoc utroque metu depulfo , prudentior , naturæque magis confentanea methodus invaluit , quàm ratiocinium pariter & experientia confirmant (21) : natura enim quæ fæpè fæ-

(18) Ruifch. *Adverf. Anat.* Decas II, p. 33.

(19) Idem , *ibid.* p. 32.

(20) Smellie , T. II , p. 451 , *Obferv.* 8 & 9. *Celeberr. Deleurye* , p. 291 , §. 874 , hic agitur quidem de membranis in utero relictis , fed paulò inferius , §. 882 , de placenta remanente idem afferit.

Vid. etiam Mefnard , *Guide des Acc.* p. 318. Puzos , p. 154.

(21) Smellie , *Obferv.* I , *Collec.* 23 , T. II , p. 443 , placenta difficillimè extractam fecuta eft hæmorrhagia quâ paucis horæ minutis mulier interiit. Hoc edoctus infortunio , eodem deinde obvio cafu , placenta extractionem naturæ permifit , feliciterque evalit enixa. Hujus methodi profperos fuccelfus fibi gratulatur , *Obferv.* 5 , T. II. p. 448.

Smellie , T. I , p. 250. Idem , T. II , p. 455. *Dans les commencemens je fuivois le torrent.... Jufqu'à ce qu'ayant éprouvé qu'on ne doit jamais violenter la nature ,.... j'ai réfolu de me comporter avec moins de précipitation.*

Levret , *Effai fur l'Abus* , &c. p. 177.

Lemoine , *Notes fur Burton* , T. I , p. 198 , not. 52.

Puzos , p. 144. *Ibid.* , p. 147.

Ruifch. *Adverf. Anat.* Decas. II , p. 30 , & feq.

piùs unico suo molimine nullâque arte adjuvata fœtum expellit ab utero , multò faciliùs secundinas minores mollioresque adapertâ jam viâ extrudet , & reverâ plerumque extrudit (22).

Ultra tonum , ultimis graviditatis mensibus , extensæ fibræ musculares uteri , mirabili naturæ beneficio , quia gradatim fit hæc extensio , nihil è suâ contractilitate amittunt. Sed statim atque fœtus exiit ab utero , vacuo derepentè facto , atoniâ & inertiâ per quoddam tempus laborant ; & illud quidem novum videtur naturæ beneficium , quod' temporis intervallum ad uterinas contractiones renovandas necessarium , ad id quoque interserviat ut paululùm reficiatur , viresque & animos recipiat partûs laboribus exhausta mulier. Mox verò in sese paulatim redeunt , jam habent ubi consistent , elaterium , irritabilitatem , contractilitatem recuperant , & reverâ à fundo ad orificium contrahuntur : his contractionibus repetitis coarctatur uteri fundus ubi placenta plerumque adhæret : hâc contractione sensim sine sensu ex uteri sinibus extricantur tuberculi & papillæ quibus nutrimentum succum eliciebat , separantur aut etiam rumpuntur fibrillæ & extremæ arteriolæ quibus utero adhærebat ; penitùs tandem decorticatur , tumque ab omni cum placentâ adhæsione liber uterus (23) fortiùs & crebriùs contractiones urget , deuterium quod jam est corpus extraneum undique premit , in globum conformat , versùs orificium pellit , ac tandem per vaginam eliminat.

Hic est plerumque naturæ ordo , ubi temerariâ & imprudenti

(22) Levret , Essai sur l'Abus , &c. p. 168.

Baudelocque , T. I , p. 309 , §. 853. *Presque toujours elle (la délivrance) seroit l'ouvrage de la nature , si on lui donnoit le temps de l'opérer.*

Ruisch. Advers. Anat. Decas II , p. 31 , & alibi passim.

(23) Puzos , p. 153.

arte non fuit intempestivè laceffita : tùmque Auctores ad id unum omnes confentiant , ut folis contractionibus uterinis absolvenda permittatur placentæ separatio : fed omnes pariter , & acerrimi feftinationis deffenfores , & qui medium iter tenent , varia partûs accidentia prædicant , quibus funeftiffima ipsis cunctatio videretur : nempe ubi hæmorrhagia ab uteri inertia , aut placentæ avulfione præmaturâ nascitur , vel ubi parte quâdam uteri fpasmodicè contractâ placenta incarceratur. Sed his etiam pofitis femper expectandum effe contendimus.

Ac primò quidem , fi ab inertia pendeat hæmorrhagia , nihil ad eam fiftendam conducet extractio placentæ ; hæc enim oritur inertia à vacuo derepentè poft fœtûs exitum factò , nedumque aliquid ad hoc vitium corrigendum conferat hæc methodus , immò contrà , fublato etiam hoc corpore , majus erit vacuum , augebitur uteri inertia , auctâ inertia ferius contrahetur , ac proindè diutiùs protrahetur fanguinis effluvium. Quid igitur tentabit obftetricans ? Manu in vaginam immiffâ , uteri collum digitis hinc indè vellicabit ut ejus corporis contractiones provocet , & hâc prudentiori methodo brevi fiftetur hæmorrhagia (24).

Si hæmorrhagiæ ortum dederit pars quædam placentæ ante contractiones uterinas avulfa , pars utero adstricta remanens , eafdem contractiones neutiquam impedit. Aliundè fi dimidium deuterii avulsum , hiantibus uteri vafis , hæmorrhagiam procreat , à fortiori majorem omninò decorticatedum producet , fi quidem tunc duplo numerosiora vafa (25) fanguinem effundent in uteri cavum. Ergo etiam hoc casu non feftinanda placentæ separatio ,

(24) Vid. Celeberr. Levret , Effai fur l'Abus , &c. p. 180 , & Celeberr. Puzos , in Aët. Reg. Chir. Acad. T. I , p. 366 , & inferiùs 370.

(25) Vid. id. ibid. p. 359.

immò, nec omninò separata extractio tentanda, tunc enim affluxu sanguinis ad uteri orificium propelletur (26), ibique non solum quasi obturamentum hæmorrhagiam sistet, sed etiam solo suo pondere collum irritabit, fundique & corporis contractiones movebit, quando quidem aquæ intra velamenta contentæ, caput fœtus, aut aliud quodlibet corpus hic retentum idem efficiunt. Et hoc etiam nos utilissimam tunc agendi normam docet: nempe tali casu non educenda foret placenta, sed potius ad uteri collum adducenda, ibique, ut orificium obturet, totiusque uteri contractiones sollicitet, veluti insertanda. Quod ita feliciter plerumque succedit, ut mox doloribus expulsivis quos vulgò (*tranchées*) vocant correpta mulier, gravissimo lethalis hæmorrhagiæ periculo liberetur. Sin autem omninò non cohibeatur sanguinis effluxus, ita saltem minuitur ut securè interea adhiberi possint varia alia ad sistendam hæmorrhagiam usurpata remedia: quæ omnia si nullo successu tentantur, non ad placenta extractionem, sed ad efficaciorum Chirurgiam, uteri orificii obturamentum, vulgò (*tamponnage*) confugiendum est (2).

(26) Idem, ibid. p. 349.

(27) Ubi peritè & industriè occluditur uteri orificium, statim cessat hæmorrhagia. Retentus in utero sanguis novi sanguinis affluxum reprimat: repulsus sanguis undanti motu orbatur, stagnat, comprimitur; serum exhalatur, lymphæ & cruor in massam coguntur, & sic paulatim nascitur salutare coagulum quo vasorum lumen clauditur.

Vide Smellie, T. II, p. 204, & Leroux, *Observ. sur les Pertes, &c.*

Multis hanc observationibus methodum confirmare possemus: tres tantum aut quatuor adducere sufficiat.

Mulier bis pepererat cum periculosissimo sanguinis effluvio: tertio instante partu, Celeberr. virum M. Thevenot accersivit. Paulò post placenta exitum torrentis instar sanguis effluebat. Cum inutilia forent omnia vulgò usurpata

Tertius tandem nobis objicitur casus nempe placentaë incarceration : sed hoc etiam argumento nostra nobis convelli non posse videtur opinio : enim verò quibus locis adhærescit placenta , hîc debilior semper uterus , ex hâc debilitate minor lentiorque contractio , dum vicinæ partes quæ omni suâ contractilitate gaudent , fortiùs fortiùsque contrahuntur ; hinc nulla inter has vires proportio , placentaque omnis seu ipsius pars aliqua , in hoc veluti marsupio concluditur : aliàs contractio spasmodica in quolibet uteri puncto idem efficiet : fieri etiam poterit ut , elapsis aquis , uterus in fœtûs collo diù contractus , in cucurbitæ figuram conformetur , ac deindè extracto fœtu eundem ferveret morem , locumque præbeat incarcerationi. Ut ut sit , semper tunc procrastinandum arbitramur : immò etiam

remedia , obturamento uteri orificium clausit , statim substitit hæmorrhagia , nec ulterius profluxit sanguis.

Subsequente partu ante placentaë exitum hæmorrhagia minabatur ; eadem methodo statim repressus fuit sanguinis effluxus , nec ullum quidem animi deliquium passa est mulier , quæ primo & secundo partu in eo penè fuerat ut sanguine exhausta moreretur : post horæ dimidium sine sanguinis profluvio placenta exiit.

Quinto partu ad eandem mulierem advocati , carissimi avunculi vestigiis insistentes , eodem dato casu , eadem adhibuimus remedia. Horâ interpositâ placentaë extractionem tentavimus , sed reduce hæmorrhagiâ , iterum obturavimus , & semi-horæ spatio placenta , sine ullo sanguinis effluxu , liberata fuit.

Mense Novembri anni 1782 , enixæ mulieri , adventante hæmorrhagiâ , malè obturatum fuerat uteri orificium , ita ut frequens animi deliquium , pulsus intermittens , extremorum frigus , jugis effluxus sanguinis instantem mulieri necem minitaretur. Ad ejus auxilium accersiti , præfente Celeberr M. Bousquet , accuratiùs obturamentum adhibuimus ; paulatim vires animique redeunt , pulsus reficitur , urgent contractiones uterinæ , ac tandem post aliquod tempus obturamento ablato , placenta feliciter extraximus.

diutius, quia duæ sunt & incarcerationis, & orificii angustiae superandæ: idem erit eo casu de variis corporis uteri partibus, ac in ipso partu de collo & fundo quæ alternis contrahuntur & relaxantur: fibrarum contractiones spasmodicas numquam diù perdurare, sed mox subsidere, & ad naturalem tonum partes brevi redire notum est; brevi igitur temporis intervallo strangulantes fibræ relaxabuntur; quæ inertiam laborant, contrahentur: incarceration evanescet, & spontanea fiet placentæ expulsio, ut in abortivo partu, quo deuterii extractio soli naturæ, præ coarctatione orificii, necessario committenda.

Constat igitur ex præmissis placentam à naturâ plerumque leniter decorticatam, paulatimque ab ipsâmet expellendam, numquam promptiori & temerariâ festinatione extrahendam esse. Jam in medium proferenda sunt accidentia quæ ex citius extractâ nasci possent, nempe hæmorrhagia; uteri prolapsus, inversio, excoriatio; laceratio placentæ; funiculi ruptura, funesque hæc insequens symptomatum series. (28)

Hæmorrhagiam duplici modo ciere potest placentæ citior extractio; primò ubi accidit, dum iners adhuc post partum uterus nondum in se redire, necdum contractione fibrarum hiantia sinuum orificia occludere potuit, secundò ubi tenaciùs adhærens utero placenta molli tractu non separatur, sed villatâ avellitur: tum non extricantur & evolvuntur è sinibus extremæ arteriolæ, sed majores rumpuntur & aperiuntur trunci, unde major minorve sequitur sanguinis effluxus pro vario ruptorum vasorum lumine.

Quoties corpori matricis & versùs collum placenta fortiter adhæret, si vehementiori nisu trahatur, tractuique resistat

(28) Vid. Celeberr. Puzos, p. 148. — Amand, p. 160. Obs. 40. id. ibid. p. 182. Obs. 50. Aderat inversio tota, & uteri inter femora prolapsus: brevi funiculus

funiculus, sequetur prolapsus uteri, inversioque quoties fundo inseritur. Ex inversione hæmorrhagia, corporis uteri, collo constringente, strangulatio, ligamentorum distensio, ingurgitatio varorum, inflammatio, suppuratio, gangræna, sphacelus, ipsa mors, modò quieta, ubi prostratis viribus aut exhausta sanguine extinguitur mulier, modò violenta, cum semiruptis nimia tensione nervis, convulsionibus correpta occumbit. Ex prolapsu eadem ferè accidentia, nisi quod lentiori prorepant gradu, strangulatioque non imminet.

Sin autem mollior debiliorque funiculus magnos iteratosque conatus perferre nequeat (29), rumpitur, tutissimumque ad secundinas extrahendas adminiculum amittitur. Nec ideò tamen cessant properantiæ fautores, sed statim, manu in uterum immisâ, decorticari, separari, extrahi placentam volunt: quot verò ex hâc festinatione nascuntur accidentia!

Antequam contractionibus uterinis ejus papillæ seu tuberculi è sinubus molli & iteratâ compressione extricati excussique fuerint, ita tenaciter quandoque adhæret, ut videatur utero concrevisse (30). Quid tùm vel à peritissimâ manu sperandum? alterutrum sanè eveniet: aut lacerata placenta frustatim extraheatur, aut excoriabitur interior uteri membrana: ex illâ excoriatione lochiorum suppressio, suffocatio uteri, hæmorrhagia interna, convulsio, febris, &c. Quæquidem omnia acciverit imprudens festinatio, nec etiam adepto proposito fine, nempe totius placentiæ extractione completâ, si quidem ejus portiuncula sæpè sæpiùs tunc in utero relinquitur.

mors consecuta est. — Ruisch. *Advers. Anat.* Decas II. p. 35 — Leroux, *Observ. sur les Pertes de sang.* Obs. 23, 24 & 25. — & Celeberr. Levret multis in locis.

(29) Vid. Amand, p. 280, Obs. 287.

(30) Vid. Celeberr. Ruisch. *Advers. Anat.* Decas II, pag. 31 & 33.

Quod si hætenùs , ut nobis quidem videtur , certis probavimus argumentis naturam sibi sæpè sæpiùs ad placentæ eductionem sufficere , tùm nullis casibus accelerandam esse , deinde maxima temerariam festinationem sequi accidentia , quis igitur erit hujus cunctationis terminus ? Quò usque cessabit vir obstetricans ? Quamdiù manum admovebit operi ? Eadem semper erit nostra ratio : *Naturam ducem sequere*. Ubi placentæ separationem præparare videtur (31) tum adjuvari potest , at si quid agatur antè hoc punctum temporis , non inutile tantùm erit , sed nocivum.

Seriùs igitur ociùsve ad secundinarum extractionem se accinet vir arte peritus. Quò fortior validiorque mulier (32) , quò minor aquarum copia , eò citiùs extrahi placenta potest , & vice versâ. Ubi lento gradu sibi succedunt partûs dolores , longoque interposito temporis intervallo redeunt , ubi naturâ , non arte , partus absolvitur , ubi longus laboriosusque fuit , citiùs percipiuntur conditiones ad placentæ extractionem necessariæ. Contrà verò diù expectantur , si paucis crebrisque conatibus enixa fuerit mulier (33) , aut arte liberata ; idem erit si fœtûs exitum nullum sequatur effluvium sanguinis (34) , si , ratione fœtûs & aquarum habitâ , plùs æquo intumerit abdomen (35) , vel duos pluresve infantes contineat : priori casu aut inertia laborat uterus , aut tenaciùs adhærent secundinæ , undè minitantur hæmorrhagia , prolapsus , inversio : posteriori , ultra tonum distensæ fibræ seriùs ad pristinum statum redeunt , contractilitatemque recuperant.

(31) Vide *Notes de Lemoine , sur les Acc. de Burton , T. I , p. 204.*
Item , *Amand , p. 359 , Observ. 117.*

(32) Vid. Celeberr. Levret , *Essai sur l'abus , &c. p. 174.*

(33) Vid. *Accouch. de Lamotte , T. II , p. 745.*

(34) Id. *ibid.*

(35) Id. *ibid. & p. seq.*

Sunt autem signa quibus naturam extractioni favere dignoscitur; mox redituras reduces uteri contractiones enixæ prænuntiant inferiùs præsertim & versùs anum sensu quodam molesti ponderis renovati dolores; paululùm fluidi sanguinis vulvâ effluit; in sese rediens & veluti in globum contractus uterus (36) tumorem prædurum (37) efformat in regione hypogastricâ, impositâ manu facilè sensibilem: digito tandem in vaginam immisso uteri orificium molle videtur & relaxatum, placentæque separatæ in matricis collum portio immittitur.

Hæc ubi conveniunt, nullum tunc opportuna operatio periculum habet; postquam igitur per brevè quoddam tempus è venâ umbilicali sanguis effluxit, sinistrâ linteo sicco munitâ (38) funiculus contorquendus est, dum dextræ digitis in vaginam immissis altiùs quàm fieri potest premitur; cum autem, quo placenta loco adhæreat, cognoscere sit operæ pretium, funis origo directioque sedulò perpendenda, tractionesque idcirco ita dirigendæ, ut dextræ digitis veluti trochleâ suspensus secundùm pelvis axim descendat; at summoperè cavebit obstetricans ne duriùs promptiùsque attracto funiculo vim utero inferat: immò contrà, si tantulùm conatibus videatur resistere, attentè perspiciet an orificii constrictione, an fortiori adhæsione retineatur. Si constringatur orificium, digito altero dilatabitur altero comprimetur funiculus; si sit adhæsio placentæ, ab omni tractione per quoddam tempus abstinebit operator, mox eas renovabit, cessabitque iterùm, secundarum partem, si quæ separetur.

(36) Vide Celeberr. Levret, *Essai sur l'Abus*, &c. p. 171.

(37) Sedulò cavendum ne in errorem inducat glomeratus uteri fundus, & pro alterius infantis capite habeatur.

(38) Vid. *Acc. de Lamotte*, T. I, p. 324. Smellie, T. I, p. 243, & seq. Levret, *l'Art des Acc.* p. 145. Deleurye, *Traité des Acc.* p. 283.

singulo quoque nisu in seipsam convolvens, immittensque in uteri collum. Sin autem rupto fune, deuterioque in utero relicto advocetur, tùm vel expectandum, vel digito (39) sollicitandum orificium uteri, ut renoventur contractiones uterinæ: quod si portio quædam descendat, in collo retineatur ut veluti stimulus fibras musculares irritet & earum contractionem exsuscitet: his cautionibus adhibitis, rarissimè admodum manu in uterum immisâ placentam extrahere cogetur.


(39) Aët. Acad. Reg. Chir. *Mémoire de M. Puzos, sur les pertes de sang*, p. 366 & 370.

Hanc Dissertationem, DEO JUVANTE, & præfide M. PETROMATHURINO BOTENTUIT LANGLOIS, Artium & Chirurgiæ Magistro, antiquo Scholarum Præcticarum Professore, scholarum Moderatore designato, tueri conabitur FRANCISCUS SACLIER THEVENOT, Augustodunensis, præclaræ Artium Facultatis, in almâ Universitate Andegavensi, Magister, Dissertationis Auctor.

Die Sabbati 31 Mensis Maii, anno R. S. H. 1783, à sesquisecondâ post meridiem ad septimam.

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREÆ.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Citharææ.

M. DCC. LXXXIII.